

Ideo oportet existimare, astrorum quoque actionem esse talem, qualis est animalium et stirpium.

Actionem autem animalium, nemo nescit esse incessum liberum. Sed ut est varia huius viri philosophia, addidit actionem stirpium: quæ fixæ in solo manent. Ita ut videatur, uno eodemque dicitur, stellis motum liberum et dedisse, et ademisse. Stirpes enim actionem nullam habent, præterquam vivendi, sese nutriendi, et sibi simile generandi, ut et animalia, quæ præter hæc, et sensum, et progrediendi motum habent. Sed vivere quidem astris, etiam nos tribuimus. An vero eis, nutritionem, et similis generationem concedat ipse viderit. Quæ tamen astra eadem longa ante disputatione statuerat.

Λείπεται τοὺς μὲν κύκλους κινεῖσθαι τὰ δ' ἄστρα ἡρεμεῖν, καὶ ἀναδεδεμένα τοῖς κύκλοις φέρεσθαι.

Relinquitur, orbis quidem moveri. Astra vero quiescere, et alligata orbibus ferri.

Sed rationes eius paulo post discutiemus. Nunc historiam apparentiarum τῶν φαινομένων prosequamur. Hermes vero si loca omnia in quibus hac de re loquitur, in unum conferantur, non plus affirmabit, quam negabit, stellas esse cælo infixas. Non possumus ergo, vetustissimis sapientiæ patribus, dogma hoc Astronomorum adscribere. Qui id, vel non docuerunt, vel in dubio reliquerunt. Sed Astronomorum, proprium est hoc inventum. Quod, quibus rationibus excogitarint pergamus summatim reddere manifestum. Ex apparentia hac una, quod stellæ, quas in octavo orbe dicunt esse, semper in eadem inter se appareant distantia, eas illi orbi fixas esse statuerunt. Non enim eandem servare posse credunt, si per se moverentur. Apparentiarum secunda visitur, quod stellæ omnes ab oriente per meridiem in Occidentem ferri videantur. Ergo inquirunt stellæ omnes quæ nobis oriuntur, et occidunt, infixæ sunt cælo. Et ad eius moventur motum, tamquam clauus ad motum rote, vel nodus ad motum tabulæ. Huic apparenti experimento rationem addunt. Quia si stellæ per se moverentur, non essent semper in eadem distantia, et ordine, et situ inter se, neque uniformi semper motu procederent. Sed aliquando una, præcederet aliam prasertim cum ipsæ inter se sint inæquales, et circulos describant inæqueles. Huic rationi addumaliam. Quia scilicet, temere viderentur asset tere, minores stellas, eandem vim motricem habere, quam maiores, eo nimirum Aristotelismo, in maiore quanto, maior est virtus. Sed ne confusio ex apparentiarum, ac rationum sermoni nostro, officiat, singulas singulatim perpendamus. Veræ sunt, quas recensuimus apparentiæ. Sed rationes sunt infirmissimæ. Cur enim, si stellæ per se munerentur, non eandem distantiam, et ordinem, et situm inter se servarent? Aristoteles quidem hanc Astronomorum hallucinationem, et illationem, volens nolens soluit quando scripsit.

Ἀλλ' ἡμεῖς ὡς περὶ σωμάτων μόνων αὐτῶν καὶ μονάδων τάξιν μὲν ἐχόντων, ἀψυχῶν δὲ πᾶμπαν διὰ νοοῦμεθα. Δεῖ δὲ ὡς μετεχόντων υπολαμβάνειν πράξεως, καὶ ζωῆς οὕτω γὰρ οὐδὲν παράλογον εἶναι δόξει τὸ συμβαῖνον.

Sed nos tamquam de corporibus solum, ipsis, et unitatibus, ordinem quidem habentibus, inanimatis tamen penitus cogitamus. Oportet vero, existimare ea participare actione et vita. Sic enim nihil præter rationem refre videbitur, quod accidit.

Astronomi igitur de astris ita cogitant quasi inanimata essent. Quod si cogitarent, ea participia esse, et actionis et vitæ, absurdum minime videretur, ea per se moveri, et tamen eundem situm, et ordinem, et distantiam servare, et in gyrum moveri. Hæc enim tanta cum ratione facta, non fortuito, non casu, ab inanimis corporibus fieri sunt existimanda: sed a motricibus substantiis ratione præditis non errante. A divinis ut Plato vocat Astrorum animis, et eorum animorum intellectibus. Probatum, est enim testimonio Zoroastri planetas esse animalia. Hermes autem eos διοικητὰς, rectores, et administratores appellavit. Hæc vero munera, non sine ratione, non sine intelligentia possunt obiri. Demonstratum autem iam est, ordinem omnem, ortum a mente habere. Si ortum, cur non et medium et finem? Ordo igitur inter sydera, et situs, et distantia, ab aïo, ab intellectu, syderum,